

M
H

Rubr. XVIII, Nro. 32. C.

Gymnasial - Bibliothek

zu Cöthen.



7

De studio litterarum Græcarum
instituendo;

pars altera, de huiusce studii utilitate;

Examini 1789, 30. Mart. hora 9. ant. habendo
præmissa

a C. F. R. Vetterlein, Rectore,

Cothenis impressit Schœndorf.

De studio historiarum Dissertation

instructio

per Joann. de Jure et Jurisprudentia

Frankfurt 1789. 80. Blatt. hor. et aut. habendo

in

J. C. F. R. Vossii

Officina typographica Schönbach



Graecam linguam, ^{I.} omnium principem, colendam dicebamus & discendam ob ipsas scriptorum suorum virtutes. Ineptæ enim sunt opinioniones, quas vulgus de utilitate hujus linguæ habet: quarum una est, solis theologis esse discendam, ut Novum Testamentum Græce scriptum possint legere: quod foedam incitiam appellat Ernesti, ipse quoque theologus. — *Lingua autem ipsa etiam si res per eam traditas non spectamus, omnium videtur esse perfectissima & quasi philosophiæ propria.* Quæ enim alia, tam suavis, est & gracilis, tam sonora &

) (I

mol-

mollis, aut tam gravis & copiosa? Proprietatem autem in eloquendo certiore[m] habet quam alia ulla: ut adeo naturale quoddam philosophiæ idioma esse videatur.

2.

Res autem, ipsæque Græcorum artes optimi cujusque ingenio studioque dignæ sunt, quoniam à *populo humanissimo & sagacissimo* proficiuntur, tanquam iusta magnorum animorum opera & monumenta, quorum usu & amore honestatis & humanitatis studium accenditur, elatusque animus nutritur, præsertim cum plerique scriptores, gentis tam elegantis viri fuerint optimi.

3.

Colenda quoque lingua Græca est, *ut illi omnis doctrina fontes seruentur puri*: a Græcis enim omnes litteræ initium habuere. — Roman

mani

mani eos habuerunt magistros, seque in his victos semper confessi sunt.

4.

Præter Romanos autem à renatis litteris *viri doctrina artibusque clari, historici, philosophi, pictores, poëta à Græcis didicere.* Nam ut de superioribus sæculis taceam, nonne omnes nostræ ætatis docti, qui quidem in philosophia & disciplinis liberalioribus eminent, hæc de quibus loquor studia coluerunt, in suumque usum converterunt? ceteri vero Græcis litteris non imbuti per breve aliquod tempus celebrati sed mox contempti & neglecti fuerunt: nec enim arte nec stilo valebant. Quisquis igitur adolescentium honestæ gloriæ studio tenetur, atque, quod a viris illustribus & magnis factum videmus, ad posteritatis famam pervenire, nec in morem vulgi inertis vult perire

αλλα μεγα ρεξας τι και εσσομενοισι
 πυθεςθαι,

is auctoritatem & exemplum omnis ævi scripto-
 rum sequutus Græcis ingenium suum alat litte-
 ris.

5.

Possunt libri Græcorum, qui plerumque re-
 rum publi carum & domesticarum erant peritissi-
 mi, *prudentiam ad res gerendas necessariam auge-
 re & perficere*; maxime cum nulli tam variam de
 hominum natura & moribus scientiam habuisse
 nec scriptis suis tam luculenter tradidisse viden-
 tur, quam Græci; prudentia vero civilis & do-
 mestica ut plurimum circa mores versatur.

6.

Neque vel Romanos scriptores rite legere
 potest Græcarum Litterarum experts. Ita enim
 multa in illorum dicuntur libris, a Græcis peti-
 ta, ut appareat, scribere eos voluisse his, qui,
 ut

7
ut tum omnes ingenui solebant, studiis Græcis
essent exculi. — Magna etiam pars historia
& antiquitatis Romanæ ex Græcis tantum libris
hauritur.

7.
Porro hoc cogitent iuvenes ad doctrinæ
laudem adspirantes, cum vel maxime in homi-
nis docti ponatur virtutibus, *libros legisse in qua-*
cunq; scientia principes, ne nomen quidem Do-
cti iure sibi posse vindicare, nisi linguam Græ-
cam didicerint. — Nam versiones pleræque
sunt miserum in modum ineptæ: ut quæ inge-
nium & quasi animum, imprimis poëtarum,
perdere, a sensuque, maxime philosophorum,
aberrare soleant.

8.
Atque cum ceteri omnes omnium tempo-
rum scriptores, certe præstantiores, Græcos in
deliciis habuissent, factum est, ut ubique ad

eos

eos in libris suis respicerent, eos allegarent, exemplis eorum uterentur, & his ex monumentis doctorum communibus stilo suo peterent ornatum. Igitur ne *alios quidem bonos scriptores* potest recte intelligere, nisi qui cum Græcis familiaritatem quandam contraxerit.

9.

In litterarum nostræ ætatis statu aliæ quædam rationes inesse videntur, cur nunc vel maxime ingenuus quisque Græcis det operam. Quanta enim regnat confusio in Ethicis, in Theologicis, in omnibus fere doctrinæ partibus? quæ absque solidioris alicujus litteraturæ cognitione & usu dissolvi non potest.

10.

Philosophiæ certe ne vim quidem tenere mihi videntur, qui veteres non legerunt. »Ego quidem, quo sæpius lego veterum philosophorum libros, eo magis recentiorum famem
&

& ieiunitatem agnosco.“ Ita rectissima Ernesti. Quomodo vero, qui recentiorum philosophorum decreta amplectuntur, de sua prædicare possent doctrina, quæ Cicero prædicavit de philosophia Græca? „Ad Academicos & Peripateticos veteres converte te quæso; ex eorum enim scriptis & institutis cum omnis doctrina liberalis, omnis historia, omnis sermo elegans sumi potest, tum varietas est tanta artium, ut nemo sine eo instrumento ullam ad rem illustriorem satis ornatus possit accedere. Ab his oratores, ab his imperatores, ac rerum publicarum principes extiterunt, ut ad minora veniam, mathematici, poëtae, musici, medici denique ex hac tamquam ex omnium artium officina profecti sunt.“ — Sed me non fugit, longe alias vulgo litteratorum probari de philosophiâ antiqua sententias, sed quæ aut ab inscitia sermonis Græcorum philosophici, aut a mentis imbecil-

becillitate aut anili superstitione videantur proficisci.

II.

Studia vero *poëtices aliarumque artium liberalium & elegantiorum* a Græcis mirifice adiuvari clamant recentiorum in iis clarorum virorum exempla. Græci quippe poëtae cum ingenio eruditionem, cum mentis illo ardore consilii usum habebant conjunctum. — Quid multa? nonne Homerum habent, coelestem quasi naturam?

I2.

Historicus vero qui cupit fieri, a Græcis artem suam discat! — Nunc certe in Germania non multum supra chronicorum humilitatem evecta est Historia. Angli quidem, apud quos studia Græca florent magis, suos habent Historicos, hoc nomine dignos; sed Hume,
Ro-

Robertson, Gibbon, Græce doctissimi, Græcis ingenia sua aluerunt; patria vero nostra nullum prius habitura videtur Historiæ scriptorem inter Classicos referendum, quam studia hæc, libera- lia studiosius erunt culta.

13.

Possit etiam ostendi, linguam hanc *studiis quoque practicis*, quæ vocant, puta theologicis, iuridicis, inservire, sed longum esset. Atque licet aliquis bonus sit in templo doctor, bonus etiam iureconsultus: attamen utrique & doctis volunt accenferi & inter homines cultiores & elegantes referri. Discenda igitur sunt, quæ ad humanitatem pertinent, & quibus neglectis, semidoctus videare. Sed tamen nec theologis, nec vero medicis tam impense Græca commendamus, quam iureconsultis; quorum cum haud pauci maiora in rebus publicis gerant negotia,
Græ.

Græcos imprimis utinam consulerent, studiosiusque tractarent! Hi tandem magnos illos viros melius, quam solet fieri, possint intelligere, verumque studiorum fructum ex iis percipere.

Indicamus hoc libello discipulorum nostrorum Examen. Lectiones, in quibus hi optimæ spei iuvenes hoc anno imprimis studiosiusque sunt versati, erant: Nonnulla ex Xenophonte, Herodianus, Homerus, Plutarchus; — Colloquia Erasmi, Terentius, Cicero de officiis; — Gellerti fabulæ, Chrestomathia poëtica, a Nobis ex poëtis Germanis selecta; — Antiquitates Græcæ; Geographia, cet. Ex his nonnulla

it-

iterabunt, oratiunculasque habebunt: 1. *L. A. Behr*, Cotheniensis, de urbium magnarum luxuria, 2. *C. G. Schroeter*, Nienburgensis, de quibusdam vitæ beatæ impedimentis. 3. *C. H. Bramigk*, Coth. de Græcorum in artibus elegantioribus præstantia. 4. *C. E. G. Behr*, Wülknitienfis, de moribus coenandi variis. 5. *J. A. Richter*, Scheudero - Dessaviensis, de publicis virorum magnorum laudibus. 6. *I. W. C. Kohl*, Furstenbergo - Brunsvicensis, de morum inter Europæos discrepantia. 7. *F. L. Richter*, Scheudero - Dessaviensis, de finibus mali phyfici. 8. *I. W. Rindfleisch*, Coth. de gloriæ cupiditate. 9. *F. A. Rindfleisch*, Edderitzo - Cotheniensis, de malo hominum ar-

te

te non cultorum gustu. Proprio labore suas com-
 posuerunt orationes primus, secundus, quintus
 & sextus. Primus vero, secundus & quar-
 tus, abituri in Academiam, nostram scholam
 valere iubebunt.

Wilkens, de musicis consonis variis.
 J. A. Richter, Schenker, de Dictionibus.
 Richter, Schenker, de Dictionibus.
 W. G. Kell, Fortenbergo, Brantienens, de
 ratione inter numeros discrepantia. J. E. L.
 Richter, Schenker, de Dictionibus, de sensibus
 mass physici. J. W. Richter, Cölln, de
 glorie cupiditate. J. F. A. Richter, Libbe
 Cölln, de modo hominum are





AB 155 562

ULB Halle
005 301 36X


3



Sb.

12





7

Græcarum

dii utilitate.

9. ant. habendo

Reſtore,

endorf.

Farbkarte #13

B.I.G.